

videatur expedire. Abbas loc. cit. n. 9. circa fin.

194. *Juramentum tunc non deferretur reo ad complendam suam probationem, sed ad purgandam præsumptionem contra ipsum.* — Urgebis. Si actore duntaxat semiplene probante, reus habet econtra semiplenam probationem pro sua defensione atque innocentia, tunc pro hanc eliditur semiplena probatio actoris; ergo frustra reo deferretur juramentum in supplementum, cum cæteroquin actore non probante reus sit absolvendus. Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Abbas cit. cap. ult. § *Sane. n. 9. h. t.* tale juramentum tunc non deferretur reo ad complendam suam probationem, sed ad purgandam præsumptionem illam, quæ ex contraria actoris probatione contra ipsum consurgebat: sive « ad ostendendam suam innocentiam, » ut loquitur textus ibid. Accedit, quod quidem actori non possit deferri juramentum istud, nisi habeat pro se ad minus semiplenam probationem, juxta dicta n. 171 et 173. bene tamen reo: quia, ut illud reo deferatur, sufficit qualicumque urgens probatio; puta, habita per unum bonum testem, licet non sit omni exceptione major, sicque non faciat semiplenam probationem. Siquidem, ut proxime dictum, juramentum ejusmodi non deferretur reo ad complendam, suam probationem, sed ne remaneat suspicio contra eum, ut inquit Abbas loc. cit.

195. *Si actor semiplene probaverit, reus autem nihil præstiterit, sintque ambo æque legales, tunc juramentum est actori deferendum.* — Quod si vero actor et reus sint æque legales, atque vitæ honestæ, actor vero semiplene probaverit suam intentionem, v. g. per unum testem omni exceptione majorem, reus autem nihil præstiterit sed solum negaverit, tunc crebrior, veriorque est doctorum sententia, quo pensatis omnibus circumstantiis causæ, et personarum, atque repertis, ut supra, juxta prudens arbitrium judicis, actori deferendum sit juramentum memoratum; prout relatis, atque rejectis aliorum sententiis, tenet Jason cit. *Repertit. l. Admonenti. n. 314. ff. h. t.*; Menochius d. lib. II. *de Arbitrar. judic. cas. 190, n. 19 et 20*; Pirhing h. t. n. 80; Fachineus lib. I. *Controvers. jur. cap. XVIII*, asserens, ita semper se servasse, atque ab aliis servatum vidisse. Id ipsum suadetur ratione: quia ex semiplena probatione actoris facile judex inducitur ad opinandum, meliorem esse causam ipsius,

quam rei, quem videt nihil prorsus præstiterit, sed duntaxat actoris intentionem negasse: unde cum reum absolvere non possit, nec debeat, cum sit plene convictus; neque ipsum simpliciter condemnare valeat, quin actoris intentio plene probata non est: merito quidem ex probationis inopia causam jurejurando decideret, l. *In bonæ fidei. c. de Rebus credit.* Reo tamen juramentum non deferret, cum jam suspicetur ipsemet judex, ac pene certus sit, eum mentiri, ac ex parte ipsius periculum subesse perjurii, actorem verum econtra dicere. Accedit, quod tunc nulla subsit ratio, ut potius reo juranti in propria causa credatur, quam actori qui jam de suo jure aliqua ex parte docuit; ergo æquitas naturalis suadet, ut deferatur juramentum actori, pro quo stat major præsumptio. Atque ad hunc casum inter alios excludendum notanter in data n. 191. conclusione additum fuit ly, « Cæteris paribus. »

196. *Delationi juramenti necessarii quando sit locus?* — Instabis contra eandem conclusionem. Non videtur, quod unquam possit esse locus delationi juramenti necessarii; ergo adhuc data conclusio subsistit. Antecedens probatur. Vel enim actor plene probat, et reus debet condemnari. c. *Sicut de Probat. cum concordantiis*: vel non plene probat, et reus debet absolvi, etiamsi nihil præstiterit, cap. ult. h. t. ergo nunquam erit locus huic juramento. Resp. negando antecedens, cum consequentia suæ probationis: hæc enim fit a partibus non sufficienter enumeratis, et debet addi tertium membrum; scilicet, « Aut actor aliquid probat, ita ut fiat præsumptio pro eo. » Atque in hoc ultimo casu est locus delationi juramenti quod quidem ordinarie, et cæteris paribus, dicitur esse deferendum reo ad ostendendam suam innocentiam; nisi aliud pensatis personarum, vel causæ circumstantis judici videatur. Abbas ibid. n. 5. et 9. Quod ut melius intelligatur:

197. *Si non omnia sunt paria ex parte actoris et rei, judicis arbitrio relinquatur, cuinam parti juramentum deferre debeat.* — Resp. II. Quando non omnia sunt paria ex parte actoris et rei, tunc judex prudenter spectatis circumstantiis arbitrari debet cuinam parti juramentum deferre debeat. Textus est in cap. ult. l. *Sane. h. t. cujus verba n. 192.* jam sunt relata: ubi Glossa vers. *In probatione*, Abbas n. 9; Jo. Andreas n. 6. aliique passim.

198. *In præeligendo, cui parti judex deferat*

*juramentum, quatuor sunt consideranda.* — Porro in præeligendo, cui parti judex deferat juramentum, quatuor sunt consideranda, videlicet, conditio personæ, natura causarum, quantitas rerum, et qualitas factorum. Abbas cit. cap. ult. § *Sane. n. 9. h. t.* juncto textu ibid. dum inquit: « Nisi judex inspectis personarum, et causæ circumstantiis, illud auctori videat deferendum. » Nam ad circumstantias personarum et causarum, enumerata quatuor capita commode reducuntur: Idque declaratur inductione. Et quidem:

199, 200, 201 et 202. *Conditio personarum, natura causarum, quantitas rerum et qualitas factorum: et quomodo?* — Imprimis « conditio personarum » attenditur penes earum legalitatem: ut videlicet juramentum necessarium non deferatur personæ infami, vili, aut alias suspectæ de perjurio, sed duntaxat personæ legali, seu honestæ, ac fide dignæ. Unde quando reus est persona vilis, infamis, seu alias de perjurio suspecta, actor vero est multum legalis ac honestus, potius huic, semiplene probanti, deferendum est juramentum in supplementum, quam reo. Glossa in l. *Admonendi. vers. Exacto juramentum.* et Bartolus ibid. circa fin. § *Hoc præmissio.* h. t.; Abbas cap. ult. § *Sane. n. 9. eod. et alii.* Ratio est, quia juramentum istud deferretur in defectum probationis ad eam complendam, ubi deficit, l. *In bonæ fidei. c. de Rebus creditis*; et consequenter, ubi per juramentum non potest compleri probatio, illud frustra deferretur: atque si actor semiplene probavit, estque persona legalis, non vero reus, juramentum potest complere probationem duntaxat ex parte actoris, non vero ex parte rei; ergo tunc est deferendum actori. Minor probatur: quia, ut supponitur, reus non est persona legalis: atqui talis persona non potest complere probationem, cum non probet, uti patet in teste extraneo talis conditionis, cujus testimonium non facit semiplenam probationem. Secus foret dicendum quando reus est persona legalis, non vero actor: quia tunc ob eandem rationem juramentum deferretur reo potius, quam actori.

Deinde « natura causarum » attenditur penes hoc, an causa sit civilis, vel criminalis exigens probationes apertissimas, et luce clariores. In his quippe non deferretur actori juramentum in supplementum licet semiplene probaverit: quamvis interdum possit juramentum deferri reo ad ostendendam suam

innocentiam, et purgandam sinistram suspicionem, quæ contra ipsum ex semiplena actoris probatione consurgebat, juxta dicenda inferius § seqq. n. 215.

Tertio « quantitas rerum » prudenti judicis arbitrio venit consideranda in causis civilibus. Nam ubi agitur de causa magna atque ardua, seu res, quæ petitur in judicio, est magni valoris, gravisque præjudicii, pariter requiruntur probationes clariores et apertæ: sicque non potest actori semiplene non probanti juramentum deferri in supplementum, conformiter dictis supra n. 187. sed reus est absolvendus, nisi judex expedire judicaverit huic deferre juramentum ad ostendendam suam innocentiam sive quod actori nihil debeat, cap. ult. § *Sane. h. t.* Secus dicendum in causis modicis, præsertim si actor, qui semiplene probavit, ac præsens negotio interfuit, sit honestus, et multum legalis, arg. l. *Legitimos. § 1. ff. de Legitim. tutor.* ac notat Glossa in l. *Admonendi. vers. Exacto.* ff. h. t. juncto c. *Ex insinuatione. 3. de Procuratorib.*

Tandem « qualitas factorum » debet attendi penes hoc, ut magis scienti, seu veritatem rei per proprium sensum cognoscenti, deferatur ejusmodi juramentum, non vero ignoranti Glossa marginalis c. *Tum litteris. vers. Probata de Testib.* junctis dictis supra, § præced. n. 184 et 185. Unde si actor cuius facti præsens interfuit, ipsi potius semiplene probandi juramentum suppletorium est deferendum; non vero reo, qui est hæres alicujus defuncti et solum negat: præsumitur enim ignorare factum alienum, l. *Marcellus. ff. Rerum amotarum.* et l. *Quamquam. ff. Ad S. C. Velleian. cum similibus.*

203. *Ut juramentum in supplementum possit actori deferri, decem copulative requiruntur; et quæ?* — Resp. III. Ut juramentum in supplementum possit deferri actori, decem copulative requiruntur. Ita Jason in l. *Admonendi. n. 24.* post Paulum de Castro ibid. ff. h. t. et concordant tum hæc dicta, tum proxime dicenda: atque illa sunt sequentia: — I. Quod causa sit civilis, non criminalis, vel spiritalis. — II. Quod causa non sit famosa, conformiter dicendis § seqq. n. 212 et 217. — III. Quod summa sit parva. — IV. Quod actor bene sciat rerum veritatem, et per sensum corporeum. — V. Quod sit legalis, et fide dignus. — VI. Quod semiplene probaverit intentionem suam. — VII. Quod illa semiplena non sit elisa per aliquam præsumptionem, vel suspicionem contrariam. — VIII. Quod non sit conclusum

in causa. — IX. Quod petatur a parte; nisi judex ex officio censuerit illud esse deferendum. — X. Quod deferatur causa cognita simulque alia parte præsente, vel ad hoc legitime citata. Atque de hisce postremis requisitis jam haec dictum est a n. 165 et deinceps.

## § VII.

## RESOLVUNTUR ALIA DUBIA JURAMENTUM LITIS DECISORIUM CONCERNENTIA.

204. *In quibus causis possit vel non possit deferri juramentum litis decisorium? Juramentum voluntarium, atque giudiciale potest deferri, quacumque actione quis conveniatur, ac præsistum proficit juranti.* — Quæritur I. In quibus causis possit, vel non possit deferri juramentum litis decisorium? Resp. I. Loquendo de juramento voluntario, atque giudicali, potest illud deferri, quacumque actione quis conveniatur: et si aliquis delato sibi ab adversario juramento « juraverit, proficiet ei jusjurandum, sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive pœnali actione, vel qualis alia agatur, sive de interdico. » Ita textus expressus in l. *Ait prætor.* 3. § 1. ff. de *Jurejurand.* Et ratio est, quia « jusjurandum » tum voluntarium, seu conventionale, tum giudiciale, sive a parte parti delatum in giudicio, « speciem continet transactionis: majoremque habet auctoritatem quam re judicata, prout habetur l. 2. ff. eod. Unde merito standum est tali juramento, illudque judex tuetur.

205. *Dummodo ab adversario sibi fuerit delatum; alias secus. Sponte adjurandum sese offerens, reddit se suspectum.* — Additur notanter in data conclusione, « delato sibi ab adversario juramento. » Nam, si reus juraverit nemine ei jusjurandum deferente, tale juramentum judex non tuebitur: alioquin facillime quisque ad jusjurandam decurrens, nemine illud sibi deferente, oneribus actionum se liberat, prout dicitur in cit. l. *Ait Prætor.* § 1. ff. h. t. Quinimo sponte ad jurandum sese offerens, reddit se suspectum, l. *Ait Prætor.* 3. § 1. ff. h. t. et l. *Si legatarius.* ff. de *Dolo malo.*

206. *Juramento præstito standum est quoad litigantes, non quoad extraneos. Jusjurandum alterius alteri neque prodest, neque obest.* — Dum vero subjungitur, « proficiet ei jusjurandum, » id est intelligendum quoad litigan-

tes, secus quoad extraneos: prout explicat Bartolus ibid. in *Summario.* Etenim tali juramento standum est quidem, quoad ipsos litigantes, sicque istud proficiet juranti, non vero quoad extraneos: « quia jusjurandum alterius alteri neque prodest, neque nocet; » prout subdit textus in cit. l. *Ait. Prætor.* § 1. ff. h. t. estque jam dictum supra § 5. num. 154.

207. *Juramentum necessarium potest regulariter deferri in omnibus causis: adeo ut parte petente, et giudice nolente illud deferre, possit appellari.* — Resp. II. Loquendo nunc de juramento necessario, potest etiam istud in supplementum probationis regulariter a giudice deferri in omnibus causis: adeo, ut parte petente, et giudice nolente illud deferre, possit appellari. Ita Bartolus in l. *Admonendi.* circa fin. et Jason in *Repetit.*, ibid. n. 315. ff. de *Jurejurand.*; Mascardus de *Probat.* concl. 958. n. 1 et 2. aliique doctores juris civilis: quorum sententiam magis sibi placere, fatetur Abbas cap. ult. § *Sane.* n. 3. h. t. quamvis Hostiensis, et Joan. Andreas ibid. et nonnulli alii canonistæ, quoad secundam partem oppositum teneant. Conclusio hæc quoad utramque partem desumitur ex l. *In bonæ fidei.* 3. c. de *Rebus creditis*; ubi sic habetur: « In bonæ fidei contractibus, necnon et in cæteris causis, inopia probationum, per judicem jurejurandi causa cognita res decidi oportet. » ubi ponderandum ly « oportet: » nam verbum istud importat necessitatem, can. « Oportet. » 8. q. 1. cum similibus. Ac proinde, si stante legitima causa simulque parte petente, nollet illud judex deferre, poterit appellari, non minus, ac potest appellari, quando judex illud deferret parti habenti justam causam non jurandi, l. *Generaliter.* § *Ipsæ autem.* c. de *Rebus cred.*

208. *Solvuntur contraria quoad alteram partem.* — Dices. In cap. ult. § *Sane.* h. t. nulla imponitur judici necessitas deferendi hoc juramentum, sed istud relinquunt ejus potestati; ibi: « Præsumptione vero faciente pro illo, reo deferri potest ad ostendendam innocentiam juramenti, » etc. Atqui non omne, quod judex potest, necesse habet facere, l. *Non quidquid.* ff. de *Judiciis.* ergo. Accedit, quod Joan. Andreas cit. cap. ult. n. 3. asserat, in textu cit. l. *In bonæ fidei.* c. de *Rebus creditis*, ubi alii habent litteram, « oportet; » sese ibi habere litteram, « potest, » quæ concordat cum cap. ult. h. t.

## § VII. RESOLVUNTUR ALIA DUBIA JURAMENTUM LITIS, CONCERNENTIA. 495

unde nulla exinde videtur desumpta necessitas. Respondet Abbas cit. § *Sane.* n. 3. sese in aliquibus libris vidisse, quod textus in cit. l. *In bonæ fidei.* habeat ly « oportet: » et quia huic lecturæ de facto correspondent exemplaria impressa, parum urget codex Joan. Andreae, veluti mendosus.

209. *Judicis arbitrio qualiter relinquatur, deferre juramentum necessarium?* — Ad cit. cap. ult. § *Sane.* h. t. dicitur, ibi relinqui arbitrio judicis, ut discernat, utrum hic et nunc sit deferendum juramentum necessarium (in multis etiam casibus istud locum non habet, ut illico dicitur) ac præsertim, ut « inspectis personarum et causæ circumstantiis » cognoscat an dictum juramentum reo potius, quam actori, sit deferendum: non autem, quod liberam habeat potestatem deferendi juramentum suppletorium, haud obstante legitima causa et petitione partium. Hoc enim manifestum inferret gravamen partibus litigantibus, contra l. 1. ff. h. t. ubi dicitur, « maximum remedium expediendarum litium esse jurisjurandi religionem: » unde merito a tali gravamine seu subtractione remedii tam opportuni ad litem finiendam, appellari posset. Atque hæc responsio confirmatur ex illis verbis, « causa cognita, » quæ continentur in l. *Bonæ fidei.* c. de *Reb. credit.* paulo superius relata.

210. *Dantur tamen plures causæ, in quibus nequit deferri juramentum necessarium.* — Resp. III. Dantur nihilominus plures casus, atque causæ, in quibus juramentum necessarium, seu in supplementum probationis, a giudice deferri nequit. Ita Socinus in *Fallenitii.* reg. 204. enumerans quadraginta duos tales casus; Barbosa c. *Sicut.* 2. n. 17. et seqq. de *Probat.* referens triginta tres. Jason in *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 271. et seqq. ff. h. t. fuse declarans plures tales casus, atque causas, in quibus, licet quis semiplene probaverit, non defertur hoc juramentum Prosper Farinacius part. II. *Fragmentor. criminal.* litt. I. v. *Juramentum,* in supplementum. n. 1235. et seqq.; Mascardus de *Probat.* concl. 958. n. 38. et seqq. et alii. Idque ostenditur inductione, referendo principaliores tales casus, sive causas.

211. *Sic non potest deferri, ubi lex, vel statutum requirunt probationem evidentissimam, vel plenam, aut legitimam. Probatio per juramentum suppletorium non est legitima probatio, sed duntaxat privilegiata.* — Imprimis quidem juramentum in supplementum probatio-

nis non defertur, ubi lex, statutum vel alia dispositio requirunt probationem evidentissimam, vel plenam et indubitam, aut luce clariorem, sive legitimam. Socinus loc. cit. fallent 1; Jason n. 282; Mascardus n. 44. et alii. Siquidem probatio per juramentum suppletorium non est evidentissima, vel indubita, aut luce clarior. Quinimo probatio per juramentum nec est legitima probatio; prout desumitur ex c. *Inter quatuor.* 2. et c. *Tuæ.* 3. de *Clericis peregrin.* ac notat Glossa § *Sed furti.* v. *Duplicantur.* Instit. de *Actionib.* et alia Glossa in l. *Contra negantem.* vers. *Probetur.* c. de *Lege Aquil.*; Jason in *Repetit.* l. *Admonendi.* numer. 282. ff. de *Jurejurand.*; Mascardus concl. 955. n. 4. et quæst. præemial. 9. n. 1. citans alios, estque jam dictum supra tit. XIX. de *Probationibus.* § 1. n. 14. Accedit, quod hæc sit duntaxat probatio privilegiata, juxta dicta n. 151. ac proinde merito locum non habet in illis casibus in quibus lege, vel statuto requiritur probatio evidens, plena seu indubitata.

212. *Juramentum suppletorium nequit actori deferri in causis criminalibus, criminaliter intentatis.* — Deinde, atque descendendo ad casus speciales, juramentum suppletorium nequit a giudice deferri actori, seu accusatori in causis criminalibus criminaliter intentatis: quia in his requiruntur probationes indubitatae, et luce meridiana clariore, l. ult. c. de *Probat.* et can. *Sciunt cuncti.* 2. q. 8. sicque urgent dicta n. præced.; Barbosa cit. c. *Sicut.* n. 44. de *Probat.*; Mascardus, de *Probat.* concl. 958. n. 38; Jason, ubi supra. n. 275; Pirhing h. t. n. 95; Farinacius part. II. fragment. litt. I. n. 1222. et seqq. allegans communem.

213. *Secus, ubi de crimine agitur civiliter.* — Additur tamen, « in causis criminalibus criminaliter motis: » hoc est, in illis, in quibus agitur ad vindictam publicam. Secus enim dicendum est, quando de crimine agitur civiliter tantum ad privatam utilitatem, simulque actio non est famosa: tunc enim posse deferri juramentum suppletorium, tenet Abbas cap. ult. n. 13. vers. *Mihi placet.* h. t.; Jason loc. cit. n. 276; Julius Clarus in *Pract. crimin.* § fin. quæst. 63. n. 1. citans alios.

214. *Vel quando pro eo debet imponi solum pœna pecuniaria.* — Atque istud ultimum extenditur ad causam criminalem, pro qua imponi debet solum pœna pecuniaria: quia etiam tunc potest deferri hoc juramentum;